

finem non suum, vel ea quae ad finem ejus ordinari non possunt, vel de iis ordinet quae altiori potestati reservata sint;

2) *ex parte materiae* : si est honesta, et utilis ad bonum commune; superior enim ad hoc solum habet auctoritatem;

3) *ex parte relationis ad subditos* : a) si iis est possibilis, non solum physice sed et moraliter; i. e. si est accommodata naturae humanae fragilitati; si consuetudini non repugnat; si tempori locoque convenit; — b) si servat aequalitatem proportionis; i. e. si imponitur omnibus ad quos materia subjecta pertinet (nisi ex rationabili causa sit exceptio facienda); si ita omnibus imponitur, ut in onere ferendo virium et facultatum cujusque ratio habeatur.

Prob. 1^a pars (justitia). 1° Auctoritas leges condere debet ut socii ad finem communem ordinentur; *a.* ordinatio ad finem communem requirit justitiam ut normam; *e.*

Ad min. Recta ordinatio ad finem communem importat imprimis, ut serventur relationes quae intercedunt inter membra; *a.* has relationes servare est justitiam servare, seu tribuere cuique suum; *e.*

Prob. 2° Legislatoris potestas omnis est tandem a Deo; *a.* Deus non dat potestatem nisi ad illud quod justum et bonum est, ipse omnem injustitiam prohibet; *e.* lex quae injustum quid praeciperet, nullam vim haberet; *e.*

Prob. 2^a pars (non mera utilitas). Utilitatis principium, si haec sola consideretur : 1) nimis indeterminatum est, ab hominum opinione fluxa dependens, non satis omnibus distincte cognitum; — 2) saepe justitiae adversatur, vel certe adversari plurimis videtur; unde nec ipsa jura naturalia civium essent tuta; — *a.* talis nequit esse norma ordinandae societatis ad finem; *e.*

Coroll. 1^m Ergo potest auctoritas civilis aliquam personam particularem, vel aliquem ordinem, a lege universali dispensare vel excipere; dummodo dispensatio fiat in bonum commune, v. c. a) ob hujus personae merita respectu societatis, in praemium huic et stimulum aliis, b) ob emolumenta toti societati ab illis personis procuranda pro dispensatione.

Coroll. 2^m Ergo si quando clarum non sit quid justitia requirat, auctoritati relinquatur partem utiliore assumere.

Coroll. 3^m Ergo si qua lex injusta est quia materiam inhonestam jubet, non licet ei obedire; — sed si injusta ex alio defectu, *per se* non obligat, illicitum tamen non est obedire; *per accidens* potest obligare, v. c. ob scandalum aliorum.

Propositio 202.

Ipsa legislator, quando agit ut persona privata, tenetur suis legibus se conformare.

Prob. Actiones principis ut privatae personae agentis, etiam ad bonum commune referendae sunt (nam et ipse tunc est membrum societatis); *a.* ut referantur ad bonum commune, necesse est ut iisdem regantur normis quae reliquis civibus praescriptae sunt; *e.*

Ad min. Hoc maxime clarum est in contractibus et aliis relationibus ad alios.

Objic. 1° Nemo per propriam voluntatem ligatur; *a.* princeps per suam voluntatem leges condit; *e.* — *R. tr. maj.* — *d. min.* per auctoritatem quam tenet, quamque per actum voluntatis exercet, *c.*; per auctoritatem quae sit confundenda cum ejus voluntate, *n.*

Inst. Etiam sic princeps ligaretur per propriam auctoritatem, quod repugnat; *e.* — *R. d.* per auctoritatem quae est a Deo ut a legislatore primario, et quam ipse ut minister et legislator secundarius exercere tenetur, *c.*; secus, *n.*

Objic. 2° Si princeps ligaretur, deberet pro violatione posse puniri; *a.* hoc nec populus, nec alius quisquam facere potest; *e.* — *R. n. maj.* (non a potestate coercitiva pendet obligatio).

Objic. 3° Princeps potest legem abrogare; *e.* — *R. d.* potest ut legislator, *c.*; ut privata persona, *n.*

Objic. 4° Princeps potest a lege dispensare; *e.* et seipsum. — *R. d. ant.* potest ut legislator, et quidem intuitu boni communis, *c.*; ut persona privata, vel intuitu proprii commodi, *n.*

ARTICULUS 4.

De potestate executiva.

Propositio 203.

Societati civili necessaria est potestas executiva auctoritati supremae propria.

Notiones. *Potestas executiva* est jus efficaciter procurandi legum observationem. — Saepe ita vocatur etiam concrete ipsa functio auctoritatis civilis qua legum jam latarum executioni prospicit.

Prob. Ut socii ad finem ordinentur, necesse est ut leges observentur, et cives etiam cogi possint ad eas servandas; *a.* ad hoc requiritur potestas executiva, haec autem erit supremae auctoritati propria; *e.*

Ad min. 1 part. (requiritur). Quum leges sint universales, aliquis esse debet qui eas ad particularia applicet; *a.* propter hominum negligentiam, oblivionem, pravas cupiditates, haec applicatio singulis civibus relinquere nequit; *e.*

Ad 2 part. (erit propria). Ad supremam auctoritatem civilem solam pertinent omnes functiones ad ordinandam societatem necessariae; *e.*

Propositio 204.

Potestatis executivae dotes necessariae sunt fidelitas, fortitudo, prudentia.

Stat. quaest. Dotes necessarias hujus potestatis dicimus, ad quas ex officio tenetur.

Prob. Potestas ista eo fine habetur, ut efficax sit ordinatio societatis quam leges praescribunt; *a.* ad hoc necessariae sunt illae dotes; *e.*

Ad min. Requiritur 1) *fidelitas*, ut a legum praescripto nullo modo discedat; ab his enim vim suam mutuatur (potest quidem princeps legem abrogare, potestate legislativa; vel ab ea particulari in casu exceptionem concedere; cfr. supra; sed nequit, quod despoticum est, contra legem vigentem aliquid definire).

2) *Fortitudo*, ut a) perfecta habeatur magistratuum officialiumque subordinatio, ac motus a prima potestate impressus facile et prompte ad terminum deveniat; — b) ut legum executio efficaciter urgeatur, adhibita, si opus fuerit, in improbos vi coactiva.

3) *Prudentia*, ne, dum fortis est, odiosa et gravis evadat; curet ergo ut sociorum operationes non extorqueat, sed ad eas illos suaviter disponat, ut quasi sponte obediant. Ad hoc, pro datis adjunctis, iis mediis utatur quibus homines juxta humanam naturam honeste moveri possunt; nam fieri nequit ut homines constanter iis mediis ducantur quae humanae naturae minime sunt accommodata, v. c. coactione, vi.

Schol. 1^m *Quaedam sint illa media apta honesta.* — R. Praecipua sunt: 1) vera religio, quae ad obediendum maxime movet; — 2) justitiae accuratissima administratio, qua a) publica officia juxta meritum, sine ulla personarum acceptione, b) poenae et praemia juxta leges, prompte, constanter, distribuuntur; — 3) sollers cura in populi prosperitate procuranda, quae auctoritati amorem et obedientiam conciliabit; — 4) sapiens ministrorum omnium, etiam inferiorum, dilectus; sint hi: honesti, laboriosi, constantes, ad munus apti; non majore numero quam necesse sit, sufficienti stipendio donati (quod auctoritatem illis conciliabit, cavebitque ne sua potestate ad proprias utilitates abutantur), severae censurae in sua administratione subjecti.

Schol. 2^m *Quibus subsidiis firmetur illa potestas.* — R. 1) Ministris seu officialibus, i. e. hominibus quibus aliqua pars hujus potestatis demandetur; — 2) aerario publico, i. e. proventu ex bonis publicis, ac tributis quae civibus imponuntur quantum necesse est ad bonam societatis administrationem; — 3) vi publica, i. e. hominum multitudine, ad ordinem internum tutandum, et ad hostes externos debellandos, armis instructa et organice ordinata.

Propositio 205.

Communitates locales a regimine supremo in quibusdam quidem dependent, debent tamen quadam autonomia frui.

Stat. quaest. 1) Quaeritur quaenam sint relationes singularum localium communitatum: pagorum, urbium, provinciarum, ad auctoritatem supremam civilem, quoad potestatem executivam praesertim.

2) Respondent recentiores centralistae, omnia esse eodem modo, imme-

diate, ab auctoritate suprema regenda, ita ut nulla sit auctoritas nisi ab ea dimanans, ejus nomine imperans, sub ejus impulsu agens. — Quod negamus in propositione.

Prob. 1^a pars (dependent). Communitates locales, ut partes et membra totius societatis civilis, debent coordinari ad bonum totius commune; — *a.* ad hoc requiritur: 1) ut earum necessitates et desideria concilientur cum desideriiis et necessitatibus aliarum omnium, — 2) ut leges universales totius societatis in iis singulis observentur, — 3) ut singulae onera ferant, non sibi solis, sed etiam totius societatis bono necessaria; *e.*

Prob. 2^a pars (quadam autonomia). Singulae communitates locales sunt organismi morales distincti, in tota societate organica existentes; *a.* tales organismi aliqua autonomia donari debent; *e.*

Ad maj. Illae communitates, vi cohabitationis plurium familiarum in eodem loco, constituuntur totidem una, in quibus voluntates et intellectus multi consentiunt, quae variis ordinibus exstruuntur, variis organis constant; *e.*

Ad min. Talis autonomia: 1) sequitur ex natura earum communitatum, — 2) melius procurat bonum earum, — 3) et melius bonum totius societatis civilis; *e.*

ad 1). Natura sua sunt totidem organismi morales distincti; *e.* vivant propria vita distincta oportet.

ad 2). Proprium caput singularum communitatum, aptius quam caput commune totius societatis, eas ad bonum earum diriget, nam melius in concreto bona et media cognoscit, et magis bona illa amat, expeditius mediis utitur.

ad 3). Si nulla datur autonomia, cives negotiorum publicorum curam negligunt, omnia ab auctoritate suprema expectant; haec autem omnibus providere non nisi imperfecte, lente vel sero potest, multiplicatis officialibus et publicis sumptibus.

Coroll. Ergo eo melior poterit dici gubernandi ratio, quo minus eam sentiant cives rebus ipsorum se immiscentem, quo magis libertate sua civili fruuntur, propriasque res per seipsos regere poterunt.

ARTICULUS 5.

De potestate judiciaria.

Propositio 206.

Auctoritati supremae competit potestas judiciaria circa causas sive civiles sive criminales.

Notiones. 1) *Potestas judiciaria* est jus auctoritative sententiam dicendi secundum leges, easque interpretandi in casibus particularibus, et applicandi ad legis violationes puniendas. — Auctoritative dicta sententia est, quae practice vere obligat, etsi theoretice fallibilis sit, unde nemo tenetur ad

actum fidei internae circa ejus veritatem, sed ad solam externam obedientiam.

2) *Causae civiles*, i. e. circa jura civium quae forte collidi viderentur definienda. — *Causae criminales*, seu poenales, i. e. circa crimina inquirenda, dijudicanda, et convenienti poena punienda.

Prob. 1^a pars (civiles). Saepe, texte experientia, cives de juribus inter se decertant, saepe de ordine violato accusantur sive juste sive injuste; *a.* cum his, sine potestate judiciaria stare societas non posset; debet autem haec potestas ad bonum commune necessaria, ad eum pertinere, qui munus habet totam societatem regendi; *e.*

Prob. 2^a pars (criminales). Ut membra societatis efficaciter ad bonum commune et prosperitatem dirigantur, imprimis necesse est ut ordo moralis, socialis, etiam inter privatos conservetur, et si quando fuerit turbatus, reparatur pro merito; — *a.* huic necessitati satisfieri non potest sine potestate judicaria puniente crimina; *e.*

Ad min. Per poenas criminibus inflictas ordo restituitur, sotes ad aequitatem quantum fieri potest reducuntur, ceteri a facinoribus deterrentur, bonis necessariae securitatis spes redditur.

Coroll. 1^m Ergo non justa quia utilis, sed potius utilis quia justa est poena.

Coroll. 2^m Ergo jus puniendi male probant aliqui ex solo jure defensionis societatis contra aggressores malefactores; nam tale jus solum existit in ipso actu aggressionis; jus autem puniendi exercetur post finitum crimen, ac potius diceretur societatis aggressio.

Coroll. 3^m Ergo idem jus male probat Kant ex munere actiones honestas praemio remunerandi, malas poena multandi; nam tale munus in genere non existit in societate, sed est Dei in vita futura, et qua parte in societate existit non ducit argumentum.

Coroll. 4^m Ergo male probat Bentham ex jure ad omne id quod societati utile est; nam tale jus non existit.

Coroll. 5^m Ergo omnis poena est natura sua expiatoria; potest insuper esse medicinalis vel exemplaris.

Coroll. 6^m Poena debet esse delicto proportionata, nam secus non obtineretur finis. Debet igitur et delictum in se et indoles eorum quibus poena infligatur inspicere.

Coroll. 7^m Ergo auctoritas summa jus habet poenas a lege statutas mitigandi aut etiam condonandi; ipsius enim est ordinem reparare, et reparationis modum determinare.

Propositio 207.

Auctoritati supremae competit jus atrociora quaedam crimina plectendi poena capitis.

Stat. quaest. Quaeritur utrum potestas judiciaria etiam usque ad poenam capitalem infligendam extendatur. — Respondent recentiores aliqui, semper

inhonestum esse, aliquem morte affici, etiam in poenam admissi sceleris. — Respondet genus humanum fere universale, non quidem ad arbitrium auctoritatis, sed ad punienda quaedam atrociora facinora existere illud jus gladii.

Prob. Auctoritas socialis jus habet eam poenam infligendi quae 1) non excedat debitam proportionem cum delicto, 2) necessaria sit ad scelera societati exitiosa impedienda; — *a.* talis est poena capitalis; *e.*

Ad maj. Requiritur utrumque simul, nam 1) *sola proportio* cum delicto inveniretur in omni etiam alio ordine, ubi nullum jus vel munus auctoritatis civilis existit; — 2) *sola necessitas* ad existentiam societatis, si quando staret necessitas medii in se injusti, non faceret jus, sed esset potius signum a Deo esse volitum societatis hujus interitum.

Ad min. 1 part. (non excedit). Satis patet poenam capitis non excedere aequalitate moralem, v. c. cum conspiratione contra societatis existentiam, cum interfectione civium innocentium, etc.

Ad 2 part. (necessaria). Multi sunt homines tam pravae indolis, et ad scelera tam proclives, ut omnem nocendi potestatem ab eis in perpetuum auferri oporteat, vel ut solus mortis terror eos a crimine deterrere possit, quin imo vix illo aliquando contineantur; *e.*

Objic. 1^o Si homo, quantumvis immitis et audax, perpetuae servituti vel exilio addicitur, societatis securitati satis consultum est; *e.* — *R. n. ant.* [texte experientia: 1) etiam perpetuo carcere clausi possunt remp. turbare, v. c. excitationibus secretis, conatibus amicorum ad eos liberandos, 2) possunt vi vel fraude liberari, 3) non sufficienti exemplo reliquos a scelere absterrent].

Objic. 2^o Perpetuum carcerem homines multo magis formidant quam ipsam mortem; facinorosi vero, mortis periculo se frequenter objicientes, eam minime horrent; *e.* — *R. n. 1 part.* — *d. 2 part.* non horrent, spe ducti mortem evadendi, et cupidine alicujus emolumenti capiendi, *c;* non horrent mortem certam, *n.*

Inst. Qui carcere perpetuo tenentur, saepe vitam suicidio finiunt; *e.* magis carcerem quam mortem horrent. — *R. c. ant.* — *d. cons.* quam mortem ut taedii et miseriae suae terminum, *c;* quam mortem infamem publica poena subeundam, *n.* (etiam capitis damnati, ante executionem se suicidio tollunt).

Objic. 3^o Poena capitis est homicidium publice patratum; *a.* hoc populum non deterret sed potius exemplo docet; *e.* — *R. d. maj.* homicidium moraliter pravum, *n;* secus, *c.* — *c. d. min.*

Objic. 4^o Non licet malum facere quia alius malum fecit; *e.* — *R. d.* malum morale, *c;* malum physicum facere quia alius malum morale, *sd.* non licet semper, *c;* non quoties necessaria est multa, *n.*

Objic. 5^o Homo ut persona habet rationem finis; *a.* per jus gladii adhibetur homo ut medium ad exemplum aliorum; *e.* — *R. c. maj.* — *d. min.* ipse se facit exhibendum in exemplum, violando suam personalitatem, *c;* secus, *n.*

Objic. 6° Jus ad vitam ab ipsa natura collatum est; *a.* sola natura jus naturale destruere potest; *e.* — *R. d. maj.* quamdiu mors non est necessaria ad finem superiorem necessario intendendum, *c;* si mors fit ad hunc finem necessaria, *n.* — *c. d. min.* (facinorosus ipse suam mortem fecit necessariam ad finem societatis civilis a Deo volitum, ponens suum jus vitae in conflictu cum jure societatis).

Objic. 7° Poena capitali non imminuitur delictorum numerus; *e.* — *prob.* Numerus scelerum, teste experientia, a) non auctus est, ubi ea poena sublata est, vel non applicata; — b) non imminutus est, ubi ea restaurata fuit, imo aliquoties tunc auctus est). — *R. n. aut.* — *ad prob : tr. tot. et n. cons.* (quia et facta alia illustriora opponi possunt, teste experientia! — et quae afferuntur facta sumuntur apud minores societates, per breviora tempora, statim post mutationem, i. e. dum effectus nondum novi ordinis sed potius praecedentis perseverans aliquamdiu apparet).

Objic. 8° Saepe fit ut auctoritas in infligenda poena capitis erret; *a.* exinde contra auctoritatem irae, odia, conspirationes; mala majora quam si nulla esset capitis poena; *e.* — *R. d. maj.* ex natura rei, *n;* per accidens ex humana fallibilitate, *sd.* et propterea debet nonnisi caute procedere, prudenter judicare, in dubio non punire, *c;* secus, *n.* — *d. min.* ex natura rei, *n;* per accidens ex hominum pravitate, *sd.* et propterea qui tales animos gerunt, sunt corrigendi imo et puniendi, *c;* secus, *n.*

Objic. 9° Non competit auctoritati jus innocenti infligendae poenae irreparabilis; *a.* innocens esse potest qui errore damnatur; *e.* — *R. d. maj.* formaliter infligendi innocenti, i. e. illi qui ut innocens agnosceretur, *c;* materialiter, *sd.* si hoc ex natura rei fieri deberet, *c;* si per accidens, in re aliunde necessaria ob finem altiore, *n.* — *c. d. min.*

Objic. 10° Poena licet afflictiva esse debeat, debet tamen moralem correctionem reo afferendam intendere; *a.* mortis poena rei correctionem nunquam obtinet; *e.* — *R. n. maj.* (de essentia poenae non est ut sit correctiva, sed ut reparativa ordinis).

Objic. 11° Nemo jus habet ut brevioram vitam faciat sive suam sive alienam; *e.* — *R. d.* nisi a Deo detur, *c;* secus, *n.*

Propositio 208.

Fieri potest ut diutius non sit necessarius usus poenae capitis, at nunquam opportune ea deletur ex codice criminali.

Stat. quaest. Alii aliqui recentiores dicunt justam quidem ac necessariam esse poenam capitalem, quamdiu in societate non satis politi sint mores; at eam esse ut injustam vel saltem ut inutilem abolendam, quum primum civitas satis provecta fuerit.

Prob. Fieri potest ut longo usu unitatis verae religionis, et politis ac mansuefactis populi moribus, et personali civium prosperitate generatim

satis provecta, vix unquam graviora crimina patrentur, eaque statim omnibus sufficientem inspicientem horrorem, ut exemplum proponendum non sit, nec terror incutiendus; — *a.* etiam in tali societate manent possibles casus, in quibus jure gladii utendum sit necessario; immo propter humanam naturalem pravitatem manent probabiles; *e.*

QUAESTIO 4.

De variis constitutionibus societatis civilis.

Ultima quaestio hujus de societate civili tractationis erat de variis constitutionibus seu de fundamentalibus legibus variis societatum. Quum enim nulla societas sine aliqua constitutione possit existere, haec autem a variis concretis factis et conditionibus exorientis societatis dependeat, magna intelligitur diversitas esse debere inter societates. Judicia igitur feramus de illis regiminibus quae primaria dici possunt, quae scilicet duce natura passim apud omnes nationes per omnem historiam generis humani inveniuntur; deinde nostrorum temporum formam regiminis illam inspiciamus, quae post gallicam inversionem per mundum grassatur: cujus primo elementum essentielle, regimen repraesentativum, secundo illud non quidem necessarium sed quasi complementum quod plurimi anhelant, suffragium universale, ac tandem totum complexum systematis moderni constitutionalis ut dicitur, examini subjiciamus. Unde sint:

- Articulus 1. De regiminibus primariis.
- Articulus 2. De regimine moderno repraesentativo.
- Articulus 3. De suffragio universali.
- Articulus 4. De statu moderno constitutionali.

ARTICULUS 4.

De regiminibus primariis.

Propositio 209.

Praeter tyrannidem, anarchiam, et despotismum, nullum regimen est contra jus naturale.

Notiones. 1) *Regimen*, i. e. modus quo suprema potestas civilis, integre sumpta: legislativa, exsecutiva, et judiciaria, constanter secundum legem fundamentalem exercetur.

2) *Regimen generatim est*

- monarchicum — imperium unius.
 despoticum — si solus monarcha totam potestatem quoad omnia exercet non per leges stabiles, sed per ordinationes particulares et perpetuo mutabiles.
 absolutum — si solus monarcha..., per leges stabiles et secundum legem fundamentalem sive scriptam sive saltem traditione notam.
 temperatum — si solus monarcha..., per leges stabiles, secundum legem fundamentalem (scriptam vel traditam), sed ita ut in aliquibus indigeat acceptatione subditorum.
 aristocraticum — imperium plurium optimatum (sive optimates aestimantur genere, sive divitiis, sive ingenio...). — Hoc si despoticum more : sine legum stabilitate exercetur, dicitur *oligarchia*.
 democraticum — imperium totius populi, i. e. omnium personarum sui juris quae societatem immediate constituunt.
 mixtum — — varia praecedentium compositio (cfr. infra).

3) In his annumerandae non erant : a) *tyrannis*, i. e. abusus quo suprema auctoritas (quaecumque illa sit, quocumque regimine) non ad bonum publicum, sed ad bonum privatum aliquorum, etiam contra bonum publicum exerceatur; — b) *anarchia*, i. e. status societatis civilis in quo omne auctoritatis exercitium manet suspensum.

Stat. quaest. 1) *Anarchiam* et *tyrannidem* esse juri naturali repugnantes, post ea quae de societatis ejusque auctoritatis fine et essentia diximus, non manet amplius probandum.

2) *Despotismum* non dicimus esse per se et absolutae necessitatis juri naturali contrarium, posset enim aliquis despota vir probus et vere boni publici amans esse; sed valde primum erit tale regimen ut in tyrannidem brevi degeneret, propter humanas passiones, et legis fundamentalis satis determinatae absentiam, quam non sola lex naturalis supplere potest; et ut frequentibus mutationibus regularem organorum evolutionem et conspirationem in unum finem turbet. Hoc probandum non assumimus, quum satis clarum videatur esse; sed de aliis regiminibus generatim affirmamus, contra excedentes sive monarchistas absolutos sive democratistas, fieri posse ut sint legitima.

Prob. Juri naturali repugnare aliquod regimen nequit, nisi aut intrinsece in suis elementis intrinsecis, aut extrinsece : in sua relatione ad finem; — a. neutro modo repugnat ullum ex dictis regiminibus; e.

Prob. min. 1 part. (intrinsece). In intrinsecis illorum regiminum elementis haec tantum reperiuntur : 1) unitas vel pluralitas subjecti physici cui auctoritas inhaeret, 2) limitatio alia vel alia juris secundum varias leges fundamentales principibus impositas, 3) temperamentum mutuum functionum quibus exercetur auctoritas; — a. 1) lex naturalis exigit quidem ut adsit

auctoritas quae societatem efficaciter dirigat ad finem, sed non exigit ut auctoritas sit potius penes unam vel penes plures personas; — 2) directio societatis civilis in finem socialem, modo non aliunde opponatur legi naturali, per se non est inhonesta eo quod magis vel minus et varie limitibus coarctetur; — 3) temperamentum in distributione et exercitio functionum reducit naturaliter ad variam limitationem exercitii auctoritatis, et recidimus in 2^m; e.

Prob. min. 2 part. (extrinsece). Ut aptum regimen sit ad finem socialem, requiritur tantum 1) a parte subjecti in quo residet auctoritas, ut cognoscat et velit quae ad finem societatis procurandum necessaria sunt, — 2) a parte multitudinis, ut per tale determinatum regimen ad finem duci velit; — a. utrumque in quolibet regimine per se reperiri potest; — e. licet alia magis alia minus apta possit esse forma regiminis, per se tamen quaelibet apta est.

Schol. Fieri potest ut ad tempus sit regimen despoticum salutem societatis necessarium, v. c. si leges propter pravorum nimiam potentiam contemni coeptae sint ab ipsis civibus, si ad mala imminenda vitanda leges sint ad tempus suspendendae quoad applicationem. — Et ex historia scimus tunc utiliter institutam fuisse ad tempus *dictaturam*.

Propositio 210.

Illud est optimum regimen relate ad quemque populum, quod ejus indoli et factis concretis maxime est accommodatum.

Stat. quaest. 1) Quaeritur quodnam sit optimum regimen. Si vero in abstracto velit quaeri, satis otiosa et vix solubilis erit quaestio. Nullum enim opus humanum, nullum regimen est quod sua pericula et vitia non habeat, suos abusus habere non possit; unde gubernandi bonitas per se potius a gubernantium honestate quam a forma regiminis pendet.

2) In concreto posita quaestio solvenda est, contra recentiores qui semper et ubique democratiam inducere conantur.

Notiones. *Indoli*, i. e. generalibus innatis praedispositionibus illius gentis. — *Factis concretis*, i. e. culturae, consuetudinibus, moribus, numero civium, extensioni et situi terrarum quas habitant, factis historicis convenientium in societatem formandam, etc...

Prob. Illud regimen est aptius ad procurandum in societate cui applicatur, finem ipsum auctoritatis supremae, directionem sociorum ad finem socialem per media efficacia et simul naturae humanae conformia, i. e. maxime per motiva rationis et spontaneam obedientiam, potius quam per solam vim; e.